



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum
Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 74. Vtrum detur aliqua causa, vel ratio, quare Deus quosdam
predestinet, quosdam reprobet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

tem sic moueatur ad fidem, eademque res sæpe alio modo dicta non moueat, aliumque moueat, alium non moueat, quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque coniungeret, in qua Iacob iustificatus est? Ac deinde: Cum Deus deserit, non sic vocando, quomodo ad fidem moueri potest, quis eum etiam dicat modum, quo ei persuaderetur, ut crederet, omnipotentem defuisse? ergo.

5. Ad argumentum in contrarium, nego antecedens. Iam enim dictum est questione 72. num. 10. repugnare metaphysicè, ut aliquod liberum arbitrium videatur restitutum omnibus auxiliis indifferentibus maioribus, & maioribus in infinitum: siquidem eo ipso esset restitutum virtuti motiux syncategorematicè infinitæ.

QVAESTIO LXXIV.

Verum detur aliqua causa, vel ratio, quare Deus quosdam prædestinet, quosdam reprobet?

S. Th. q. 23. a. 5.

1. **V**idetur non dari, primò quia prædestinationis, & reprobationis identificantur cum diuina essentia; sed diuina essentia non habet causam; ergo &c.

2. Secundò videtur, quod non possit, nec debeat afferri alia ratio, cur Deus aliquos prædestinet, alios reprobet, nisi, quia sic voluit, iuxta illud Apostoli ad Rom. 9. *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat.*

3. Respondeo questionem posse agitari in pluribus sensibus. Primus sensus est, utrum prædestinatio, & reprobatio, in quantum importat volitionem necessariam identificatam cum diuina essentia, habeant aliquam causam. In hoc sensu certum est diuinam prædestinationem, & reprobationem non solum non habere causam, sed etiam non habere ullam rationem distinctam à se, sed esse omnino à se, sicut diuina essentia est omnino à se. Ideò Sanctus Thomas 1. parte questione 23. art. 5. dicit: *Non est assignare causam diuine voluntatis ex parte actus volendi.* Et paulò post: *Nullus fuit ita insane mentis, qui dixerit merita esse causam diuine prædestinationis ex parte actus prædestinantis.*

4. Secundus sensus questionis est, utrum detur aliqua causa, vel ratio diuinæ prædestinationis, in quantum importat complementum, & applicationem extrinsecam. In hoc etiam sensu videtur certum, quod si ut multi dicunt, complementum extrinsecum diuinæ prædestinationis, & reprobationis est aliquod ens positium, & temporale verè existens in rerum natura, illud complementum propriè causatur à Deo illud in tempore producente: si verò hoc complementum est pura veritas obiectiua æterna, & aliquod ens abusuam, à Deo causatur

solum improprie, & abusuè, ac supertranscendentaliter, ut explicatum est questione 38. numero 47.

5. Tertius sensus questionis est, utrum detur, & possit à nobis assignari aliqua ratio motiua, & finalis, quæ moueat Deum ad hoc, ut quosdam velit prædestinare, quosdam reprobare.

6. Dicendum cum Sancto Thoma 1. parte questione 23. art. 5. ad 3. & in Commentario cap. 9. Epistolæ ad Rom. lect. 4. quod si quærat in genere, quare Deus quosdam prædestinet, quosdam reprobet, ex ipsa bonitate diuina delumi potest ratio prædestinationis aliorum, & reprobationis aliorum. Probatur, & explicatur. Diuina bonitas dicitur esse adæquata ratio finalis mouens Deum ad volendum facere omnia quæ facit, in quantum omnia facit, ut manifestet suam bonitatem, & suas perfectiones, & præsertim misericordiam, & iustitiam: sed diuina misericordia maximè manifestatur per hoc, quod aliqui consequantur æternam beatitudinem, diuina iustitia manifestatur per hoc, quod peccatores in æternum puniantur; ergo ratio, quare Deus quosdam prædestinet, quosdam reprobet est, ut in prædestinatis manifestet misericordiam, in reprobis iustitiam. Hanc rationem, ut explicat Sanctus Thomas loco citato, affert Apostolus ad Rom. 9. dicens. *Volens Deus ostendere iram, idest vindictam iustitiæ, & notam facere potentiam suam, sustinuit, idest permisit, in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ parauit in gloriam; & 2. ad Tim. 2. In magna domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed etiam lignea, & fictilia, & quedam quidem in honorem, quedam in contumeliam.*

7. Si verò quærat, quare Deus specialiter hos prædestinet, illos autem reprobet: dicendum, quod non potest assignari alia ratio, quam hæc, quod Deus sic voluit, iuxta illud Apostoli ad Rom. 9. *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat; & paulò post: O homo tu quis es, qui respondeas Deo? numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic? an non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Ideò Augustinus tract. 26. in Ioannem dicit. *Quare hunc trahat, illum non trahat, noli velle dyndicare, si non vis errare.* Explicatur. Quia figulus facit vasa in vsum domus, domus autem indiget non solum vasis factis ad honorem, hoc est ad nobilia ministeria, putà ut ponantur in mensa domini, sed etiam vasis factis in contumeliam, hoc est ad vilia, & fordida ministeria, ideò ex fine, figuli debet afferri ratio, quare ex eadem massa luti faciat aliqua vasa in honorem, aliqua in contumeliam. At si quærat, quare ex hac parte massæ faciat vas in honorem, ex alia parte faciat vas in contumeliam, non potest assignari alia ratio, quam quia figulus sic voluit. Sed Deus creaturas rationales condidit ad finem manifestandi suam misericordiam, & iustitiam; ad hunc autem finem aliqui debent esse vasa in honore:

hōnorem, in quibus manifestetur diuina misericordia, aliqui debent esse vasa in contumeliā, in quibus manifestetur diuina iustitia; ergo ex fine potest reddi ratio generalis, quare Deus quosdam prædestinet, quosdam reprobet; at ratio specialis, quare hos prædestinet, illos reprobet, assignari non potest ex fine, sed vnica ratio est, quia Deus, qui est supremus dominus, sic voluit. Videri potest S. Thomas locis citatis.

8. Promouendo doctrinam traditam, sicut ex fine potest reddi ratio generalis, quare singulis faciat tot vasa in honorem, puta centum, & tot in contumeliā, puta mille; at ratio, quare centum vasa in honorem faciat ex hac parte massæ, mille vasa in contumeliā faciat ex alia parte massæ, non potest reddi ex fine, sed ex sola voluntate figuli; sic ex fine potest afferri ratio generalis, quare Deus tot prædestinauerit, & tot reprobauerit; at quare hos potuerit in numero prædestinatorum, illos autem in numero reprobatorum, non potest reddi ratio ex fine, sed ex sola voluntate Dei.

9. Addo Sanctum Bonauenturam in 1. dist. 41. art. 2. quæst. 7. Carthusianum eadem dist. quæst. 9. Henricum quodlibeto 5. quæst. 15. & alios asserere, quod datur etiam ratio specialis, sed nobis occulta, quare Deus hos prædestinet, illos autem reprobet. Hanc sententiam sequens Bellarminus tom. 4. lib. 2. de gratia, & libero arbitrio, cap. 9. dicit. *In particulari quoque dubitari non potest, quin Deo non desit sua ratio, cur istum potius, quam illum prædestinare voluerit ad vitam, quamuis ea nobis occulta sit.* & etiam hæc sententia est probabilis, & fundatur in pluribus auctoritatibus Augustini, & aliorum Patrum, ac fortasse conciliari potest cum priori sententia, dicendo, quod illa negat dari aliquam specialem rationem a nobis assignabilem, vel inuestigabilem, sed non negat dari rationem nobis omnino ignotam, & non inuestigabilem, iuxta illud Apostoli ad Rom. 11. *Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius?*

10. Quartus sensus quæstionis esse potest, utrum aliquid creatum ut absolute, vel conditionate præuisum possit esse ratio, vel conditio, sine qua Deus aliquem non prædestinasset, vel reprobasset.

11. Respondeo affirmatiue. Probaturnam peccatum Adæ ut absolute, vel conditionate præuisum iuxta sententiam Sancti Thomæ, & communem fuit conditio, sine qua Verbum non fuisset incarnatum, & proinde sine qua humanitas Christi non fuisset prædestinata ad vñionem hypostaticam, & ad eximiam illam beatitudinem, quam de facto habet ratione vñionis hypostaticæ; in sententia verò Scoti, & aliorum, peccatum Adami licet de facto non fuerit conditio, sine qua Verbum non fuisset incarnatum, tamen potuisset esse conditio, sine qua Verbum non fuisset incarnatum; ergo in omnium sententia aliquod crea-

tum ut absolute, vel conditionate præuisum potuit esse conditio, sine qua Deus aliquos non prædestinasset. Rursum iuxta illud Augustini: *Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non habuisset*, oratio Stephani fuit conditio, sine qua Deus Paulum non prædestinasset ad apostolatū, & fortasse ad salutem; ergo. Potest etiam concedi sæpè bona opera prædestinatorum ut conditionate præuisa esse conditionem, sine qua non fuissent prædestinati; mala opera reprobatorum ut conditionate præuisa esse conditionem, sine qua non fuissent reprobatī, ut magis explicabitur infra quæst. 80. num. 23. & quæst. 81. num. 24. Videri potest Ruiz de Prædestinatione disp. 3.

12. Addo primò, quod quia, ut dictum est quæst. 43. diuina voluntas non potest habere aliam rationem motiuam ad volendum, quam diuinam bonitatem, nullum creatum potest esse ratio motiua Dei ad volendum aliquem, prædestinare, vel reprobare, sed solum potest esse conditio, sine qua diuina bonitas non moueretur. Ex gr. peccatum Adami non fuit ratio mouens Deum ad volendam incarnationem, sed Deus ad volendam incarnationem motus fuit adæquate à sua bonitate: at peccatum Adæ ut præuisum fuit conditio, sine qua diuina bonitas non mouisset Deum ad volendam efficaciter incarnationem.

13. Addo secundò, quod cum aliquid creatum est conditio, sine qua Deus aliquem non prædestinasset, vel non reprobasset, fungitur ratione conditionis non ut absolute, sed solum ut conditionate præuisum. Ratio est, quia fungitur mouere conditionis, in quantum præuidetur præuisione dirigente ad decretum prædestinatiui, vel reprobatiui: sed sola scientia media, per quam res præuidentur conditionate, non autem scientia visionis, qua præuidentur absolute, dirigit Deum ad sua decreta libera, ut dictum est quæst. 68. num. 3. & quæst. 69. num. 20. ergo.

14. Ad 1. concedo totum, quod nimirum prædestinatio, & reprobatio in quantum important actus Deo intrinsecos non habeant causam. Possunt tamen habere causam propriam, vel impropriam, in quantum important liberam applicationem extrinsecam ad hoc potius, quam illud obiectum, ut explicatum est num. 4.

15. Ad 2. iam dictum est, quod Deus prædestinat, vel reprobat, quia vult; sed quia vult rationabiliter, datur ratio motiua volendi, quæ ratio est diuina bonitas, ita tamen, ut quedam creata ut conditionate præuisa possint esse conditio, sine qua diuina bonitas non moueret ad hoc volendum; sed ad volendum oppositum, ut explicatum est num. 12.